

veruntamen secundum humanitatem, secundum quam potuit Deus nasci.

<sup>PL  
67, 912</sup> Ep. V, 3. [...] Manens enim Deus Filius una in Trinitate persona, venit ad Virginem; nec sibi aliam de ea personam assumpsit, sed aliam sic unitatem personae suae suscepit, ut persona quae semper erat, naturam susciperet carnis, haberetque duas, una Christi persona, naturas. Nec ambigere oportet quomodo credatur humana natura, ex initio sui, Dei Verbi habuisse personam; scientes quia non hominem formatum, neque conceptum, neque vita sua quadam vel in matris utero vivere iam incipientem Deus assumpsit; sed omnino antequam aliquid Maria conciperet, ante omnem formati formandive hominis causam, Deus volens homo fieri, virginalis palatum ventris intravit; et virtute divinitatis munus largiens fecunditatis, assumpsit ex ea quam habere voluit matrem, nostri generis veram carnem.

1555

## EPISTOLA DOGMATICA ADVERSUS ARIANOS ALIOSQUE HAERETICOS

<sup>PLS  
IV, 32</sup> 11. [...] Sequetur hunc Eutyches dissimiliter perfidus, sed similiiter condemnandus, in una Christi persona duas manifeste substanzias permanere cognoscens, unam quam videbit, ut confundatur; aliam quam non videbit, ut puniatur: auditurus, sicut omnes impii, tollatur impius ut non videat claritatem Dei: nec audiebit amplius suspicari, nihil Christum de Mariae genitricis carne sumpsisse: sed velit nolit, aspiciet Dominum ipsum esse filium David, quia natus est *ex semine David*.<sup>1</sup> Quomodo autem ex semine David nasci potuit, sine semine viri conceptus et natus, nisi quia de semine David caro extitit B. Mariae, quae materiam carnis nascituro ex se Domino ministravit?

1556

## VERECUNDUS († 552)

## IN CANTICUM DEUTERONOMII

<sup>PLS  
IV, 57</sup> II. *Exspectetur sicut pluvia eloquium meum, et descendant sicut ros verba mea.*<sup>2</sup>

1557

Ex persona Patris agnoscitur, cuius Eloquium novissimis est temporibus exspectatum, quia *Verbum caro factum est et habitavit*

<sup>1</sup> Rom. I, 3.

<sup>2</sup> Deut. XXXIII, 2.

• PL 67, 889, 894, 896, 898, 902, 908, 911, 940, 941.

*in nobis:*<sup>1</sup> pluviae comparatum, pro eo quod de nube intelligibili Maria matre descendens, terrae nostri corporis sociatus, sanctis nos praedicationibus, tamquam pluviis, irrigavit.

### PRIMASIUS Hadrumetinus († 552)

#### COMMENTARIA IN APOCALYPSIM

- 1558 Lib. III, cap. X. [...] Finis enim legis Christus ad iustitiam omni PL<sub>68, 864</sub> credenti. Qui Christus, id est Veritas, tunc de terra, id est de Maria, nasci voluit, quando iustitia de coelo prospexit.<sup>2</sup>
- 1559 Cap. XIII. [...] Quod si etiam de Christi persona specialiter velis accipere,<sup>3</sup> excepto cruciatu, quem in partu B. Mariam non est credendum habuisse, quam novimus nullum in conceptu peccatum libidinis contraxisse, recte potes caetera coaptare, si rufi draconis insidias, persecutioes quas ab ipsis incunabulis ab Herode<sup>4</sup> Christus pertulit. PL<sub>68, 874</sub>

#### SUPER APOCALYPSIM

- 1560 Lib. IV, cap. XIV. [...] Gaudia propria virginum Christi non PLS<sub>IV, 1218</sub> sunt eadem, non virginum, quamvis Christi: nam sunt aliis alia, sed nullis talia. Item in haec sequimini agnum quia et agni caro, utique virgo: hoc enim in se retinuit auctius, quod matri non abstulit conceptus, et natus. Merito eum sequimini virginitate cordis et carnis, *quocumque ierit.*<sup>5</sup> Quid est enim sequi, nisi imitari?

<sup>1</sup> Io. I, 14.

<sup>2</sup> Ps. LXXXIV, 12.

<sup>3</sup> Apoc. XII, 1 ss.

<sup>4</sup> Matth. II, 13.

<sup>5</sup> Apoc. XIV, 4.

● PLS IV, 77, 170, 201.

■ PL 68, 417, 456, 502, 533, 550, 552, 594, 655, 682, 690, 692, 698, 713, 719, 729, 742.

● PL 68, 885.

● VICTOR (saec. vi): PL 68, 941.

● LIBERATUS (saec. vi): PL 68, 971, 972, 973, 975, 981, 983, 987, 1023, 1024, 1036.